

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 2066

**Auteur(s) :** Évreux (official)

**Bénéficiaire(s) :** Thomas Toupin [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1235, février

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume, fils d'Ybert dit le Clerc, reconnaît, devant l'official d'Évreux, avoir vendu à Thomas Toupin, vingt-huit sols tournois et deux chapons de rente qu'il possérait sur Gillebert du Planche, Arnould du Martrey et Jean le Court.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bonnin Théodore, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CLX, p. 197-198.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis Ebroicensis, salutem in Domino.  
Noverit universitas vestra quod in presentia nostra constitutus Willelmus, filius Yberti dicti Clerici, defuncti, recognovit se vendidisse et concessisse Thome Tupelin viginti et octo solidos turonenses et duos capones anni redditus, quos idem W. et predecessores sui de Gilleberto de Plancheio et de Arnulpho de Martreyo et de Johanne de la Court hiis terminis annuatim percipere solebant, prout dictus Willelmus filius Yberti dicebat, videlicet Gilleberto de Plancheio octo solidos ad festum sancti Remigii, de quodam gardino sito apud Loviers juxta gardinum archiepiscopi et de Arnulpho de Martreyo quatuor solidos ad Nativitatem beati Johannis Baptiste, et quatuor solidos ad Natale Domini de quadam masura sita apud Loviers juxta masuram Rogeri Bourdon, et de Johanne de la Court, sex solidos ad Pasca Domini, et sex solidos ad festum sancti Remigii, et duos capones ad Natale Domini, de quodam gardino sito inter molendinum sancti Taurini, ex una parte, et vicum de Putheo, ex altera, pro decem libris turonensibus de quibus dictus W. coram nobis se tenuit pro pagato. Concedit etiam dictus Willelmus quod dictus Thomas et heredes sui, vel illi quibus dictum redditum assignare voluerint, dictum redditum annuatim percipient a viris prenominatis vel eorum heredibus, libere, quiete et pacifice, ad terminos prenominatos, absque ulla reclamatione ex parte dicti Willelmi et heredum suorum, reddendo inde annuatim heredibus Ade Morel tres solidos turonenses de redditu ad festum sancti Remigii, et Rogero dicto Monacho vel heredibus suis duos solidos ad Pasca Domini de redditu, et Rogero Bone Teste vel heredibus suis tresdecim denarios ad Pasca et tresdecim denarios ad festum sancti Remigii de redditu, pro omnibus redditibus, serviciis et exactiobus. Et sciendum est quod dictus Willelmus et heredes sui dictos viginti et octo solidos turonenses et duos capones anni redditus, prefato Thome venditos et concessos, eidem Thome et suis heredibus vel illis quibus dictum redditum assignare voluerit, contra omnes tenentur garantizare per redditus prenotatos. Concedit etiam predictus Willelmus quod licitum sit prefato Thome et suis heredibus, vel illis quibus dictum redditum assignare voluerit, plenariam justitiam facere in dictis gardinis et in masura supradicta pro dictis redditibus et emendis, si viri prenominati vel eorum heredes defecerint in solutione reddituum supradictorum ad terminos prenominatos. Juravit insuper prenominatus Willelmus, tactis sacrosanctis, coram nobis, de bona voluntate sua et sine ulla coactione, quod in dictis viginti et

octo solidis turonensibus annui redditus et duobus caponibus annui redditus nichil per se vel per alium de cetero  
reclamabunt.

In cuius rei testimonium ac in munimine, nos, ad petitionem parcum, sigillum curie Ebroicensis una cum  
appositione sigilli dicti Willelmi presentibus litteris apposuimus.

Actum anno Domini Mº CCº XXXº IIIJº, mense februarii.